



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXVI. De Strage Infidelium & Destructione castris Partigal &
propugnaculi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hermannus de Saltza IV. Mag. Generalis Ordinis Teut.
Hermannus de Balke I. Magister in Prussia Provincialis.*

Pruschia in subsidium fratribus in gravi necessitatis articulo constitutis.

ANIMADVERSIÖ.

(a) Ottoñem eum appellat Jeroschinus.

CAP. XXVI.

*De
Strage Infidelium & Destructione ca-
stri Partigal & propugnaculi.*

DE Castris Pruthenorum predictis quotidiè tot armati processerunt ad bellum, quod præclusa fuit fratribus via ad eundem hostes, & sublata omnis materia impugnandi eos. Super quo fratres perturbati convenerunt sæpius, quærentes in tractatibus suis remedium opportunum. Tandem ipse Christus, qui devotos suos in tribulationibus constitutos non desinit consolari, provocavit gratia sui Spiritus quendam dictum Pommadam Virum Nobilem qui inter Pruthenos quondam magnæ fuerat reputationis, noviter autem conversus ad fidem Christi, & ad fratres, ut sibi negotium fidei & fidelium assumeret in hunc modum. Idem Pommada de castro Balga rediit ad suos (a) compaterotas Pruthenos, simulans se hostem fidei & fidelium, quo viso gavisi sunt Prutheni gaudio magno, quia sperabant omnem Virtutem fratrum per hujus Viri industriam enervare. De consilio itaque hujus Pommadæ, omnes potiores Warmiæ, Nattangia & Brarthæ, & alii ad bellum apti, convenerunt, castraque metati sunt in obsidione Balgæ, sed fratres qui hujusmodi factum & Ordinum diu ante præsciverant, jam cum dicti Principis de Brunshvigg & aliorum Peregrinorum comitiva congregati in armis exierunt ad eos in prælium, & occiderunt ipsos

*Hermannus de Salza IV. Magister Gen. Ord. Teut.
Hermannus de Balke I. Magister in Prussia Prov.*

usque ad internecionem, Ita quod unus ex eis non remansit, qui eventum talem posteris nunciaret. Hoc facto processerunt idem Dux & fratres cum exercitu suo ad Castrum Partegal & ad propugnaculum, & expugnaverant ea captis & occisis Omnibus utrumque in cinerem redigentes. Multa alia idem Princeps bella gessit per spacium unius anni quo stetit in dicto castro de Balga & toties vexabat Pruthenos, quod non poterant respirare. Completoque anno & Voto peregrinationis suæ cum gaudio ad propria est reversus &c.

ANIMADVERSIO.

(a) Fortasse legendum Compatriotas. Licet enim & hoc verbum sit barbarum, usitatum tamen est aliis eorum seculorum Scriptoribus. Vid. Petrum de Vineis *lib. III. cap. XXI.* Gvilhelmus Malmesburiens. *lib. 1. de gestis Anglorum.* Conf. Voss. *lib. 3. de Vit. Serm. Latin. cap. 6. pag. 411.* Vox autem Compaterota cum sit planè inepta, neque apud alios Scriptores usquam occurrat, per incuriam librarii videtur irrepsisse.

CAP. XXVII.

De

Subjectione Warmiensium Nattangorum & Barthorum, & adificatione plurium castrorum.

Prutheni ergo de Warmia, Nattangia & Bartha Dei ordinatione, per fratres & dictum Ducem debellati cum non possent amplius resistere, fecerunt de necessitate Virtutem & datis obsidibus, se fidei & fratrum imperio subdiderunt, ut ergo fratres futura pericula præcaverent & recidivandi materiam tollerent